Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

feratur auctore, virginibus rerum viribus aliquid detrahitur: cum semine utique ac si raro aspersa non sterile usibus nostris in inmensum extendendam messem produxerit. Neque illi refert quovis iudicio ex quacumque caucula gemma pulcherrima extrahatur, dum in avaricia mortalium usu expleat et decore. Ex quo tanta precii margaritam pluribus preciosis merito preferendam inter vite huius erumpnas multiplices, infirmitati nostre solatium tam efficax divina prestitit pietas, indignum omnimodis iudicabam, sed ad tantam gratiam lingue improba et ingrata torperent silentia, ut si non quanto dignum esset eloquii nitore oratio posset vestiri, nudo saltem sermo prestaret, nec salus que erat in commune videretur mortalibus intercludi. Non autem certius nos aliquid allaturos hac scripti novitate fatemur, nec enim intactam ordimur rem, cum alienis tamen vestigiis imitamur. Sed quoniam hystoria illa beate virginis simplici, ut forte antiquitas de repente mandavit memorie, stilo compacta vulgo solum erat accommoda, confidentes iam Christo propicio plures disciplinarum studiis eminentes lectionem infulsioris scripture non sine quadam nausia fastidire, eorum deliciis nostram operam non incongruum estimavimus deservire. Fidem quoque gestorum et in priore parte ut scripta prefata monstrabant, interpretatione fida ut puto usque ad obitum beate virginis transposuimus, et nunc sequentibus deinceps pari nichilominus puritate domino Christo prestante meritisque ipsius sponse divine facientibus narrandi ordine eadem vestigia prosequimur. Gratum preterea habemus admodum, quod hec posteriora certiori iam aliquantulum ducunt itinere, temporis maxime noticia que superiores partes non nichil infuscat lucidius insignita. Nam excepta prima fronte Childerici nomine regis et hoc sub opinione opposito per totam exinde narrationem, quod sub quo rege vel principe sit gestum, ita siletur, ut etiam ipse Childericus qui in nece sponsi beate virginis sententiam ferens reperitur, non satis certos temporis reddat. Hunc siquidem Childericum si tamen ipse est, fama tamen Karoli senioris non multum supra tempora contigisse, eique adhuc superstiti genitorem ipsius Karoli Pipinum prius ducem et maiorem domus et tunc dicebatur in regio culmine superductum, nimia illa socordia et inerti demisso ignavia rebus regendis non solum minus idoneo sed per omnia prorsus inutili reddito. Hoc utrum sic se habeat necne, siquidem in magno ponam discrimine.

Ceterum annales seu hystorias quas inspicere potui, preter solam Karoli vitam Taganfredum quendam continent, de cuius manu Karolus principatum sustulit, Childericum vero tamen ille annalis quam brevissime annotat, et famam supradictam sequitur, eo deposito de regno et tonsorato Pipinum ei superductum. Si tamen is de quo fama iactat ea etate fuisse credendus est, quoniam id quod in presenti libello reperitur, quod locus cimiterii sanctimonialium ad sanctos apostolos nec diu temporis corpore beati Arnulfi haberetur insignis, possit probari non satis elucet, cum constet beatum Arnulfum multo longius antequam is Childericus fuisse dicatur mundo receptum, ut et sacra gestorum eius scripta declarant, vix dum anno dormitionis sue exacto a loco sepulture Metis relatum. Ea ut cumque sint quibusque per arbitrium in medium relinquentes non multum utique sententiarum pondus adimite, ambage que restant domino conatum iuvante iam prosequi contendamus, et translationibus geminis beate virginis que successerint virtutum miracula, queque ad sacratissimi tumuli eius reverentiam diversorum languorum sint ostensa officio non minus devoto quam debito explicemus.

VIII

Ut superior narrationis series comprehendit, perpetuam sacratissime virginis corpus intemeratum in basilica sanctorum apostolorum extra muros urbis per annos viginti quinque quieverat, quedam forte religiosarum supradicti sanctimonialium cenobii revelatione divina se testata est fuisse commonitam, uti maiori ecclesie que erat loco subtiori alia adiacens extrinsecus in honore sancte dei genitricis MARIE construeretur basilica. Modumque ipsius revelationis hoc ordine referebat. Videbatur inquit mihi quiescenti virgo beata domini Glodesindis super muro civitatis stans, lapidem eminus veluti loco designando manu deicere, meque verbis ita super compellare: Ibi inquit ecclesia fabricetur, et quem in locum lapis casu devenerit, in eo beatissime semper virginis MARIE erigatur altare. Monstrato denique aliam quandam in parte latere seorsum. hic autem ostium fiat quo ex ecclesia maiori hoc est monasterio in eandem pervius nova sororibus aperiatur ingressus. Hoc somno discussa cum ceteris retulisset, ancipiti diu hesere consilio, eo quod tunc temporis regie tutele locus ille subesset, nec nisi ad eam rogatione prelate quod aggrediendi